



19.  
DE  
**CERTITVDINE**  
**FVTVRARVM**  
**A C T I O N V M**  
**LIBERTATI**  
**MENTIS HUMANAЕ**  
**H A V D I N I M I C A**

PRO LOCO

INTER ASSESSORES FACULTATIS PHILOSOPHICAE  
OBTINENDO  
IN ACADEMIAE WITTEBERGENSIS  
AVDITORIO MAIORI

P R A E S E S

**IOANNES ERNESTVS**  
**SCHVBERT**

LL. AA. MAG. ET AMPLISSIMAE FACULTATIS  
PHILOSOPHICAE ASSESSOR

D. XVI. APRIL. A. O. R. CL ID CC XXXVIII.  
DISPVTABIT

R E S P O N D E N T E  
**ELIA WEIGELIO**  
NAGT-HONTENSI HUNGARO

---

WITTEBERGAE  
EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICH.







§. I.



contradictionem appellamus si-  
multaneitatem in affir-  
mando et negando: hoc  
est, simultaneam eiusdem  
de eodem affirmationem  
et negationem.

*Contradiccio  
quid sit?*

Si e. c. Caius diceret, certitudinem futura-  
rum actionum tollere humanae mentis libertatem,  
et Titius affirmaret, certitudinem istam non tolle-  
re libertatem; unusquisque intelligeret, Caium  
Titio, et Titium Caio contradicere. Enimvero  
nihil animaduertimus, nisi quod Caius de futura-  
rum actionum certitudine idem affirmet, quod Ti-  
tius de eadem negat: Nimurum tolli per istam  
humanae mentis libertatem.

A 2

§. II.

## §. II.

*Quicquid simultaneam eiusdem de eodem affirmationem et negationem continet, contradictionem inuoluit? nem inuoluit (§. I.).*

Concipe, si potes, Triangulum bilineum, et experieris, hac ipsa notione, idem simul ponи atque tollи. Ponitur, spatium tribus lineis terminari, dum dicitur esse triangulum; tollitur, spatium tribus lineis claudi, dum dicitur esse bilineum. Inuoluit itaque haec ipsa notio contradictionem. Accidit idem in propositionibus, quod in notione complexa ostendi. Fac, Caium affirmare, Titium esse et idealistam et materialistam, h. e. aliquem idealistam esse materialistam: si hanc propositionem distinctius examinares, contradictionem, quam continet, ad oculum tibi patesceret. Maioris eidentiae causa ad sequens Schema reflectamus:

Idealista

Affirmat existentiam spirituum	Negat existentiam spirituum
--------------------------------	-----------------------------

Negat existentiam corporum.	Affirmat existentiam corporum.
-----------------------------	--------------------------------

## §. III.

*Impossibile appellatur, quod contradictionem inuoluit.*

Hanc impossibilis notiōem ill. Wolfs primum in Inst. Metaph. idiomate Germ. conscriptis

§. 12.

§. 12. tum uero in Ont. Lat. Sect. II. cap. I. §. 79. distinde proposuit, et in Comment. Lucil. de diff. nexus rerum sapientis et fatalis §. VII. prolixius vindicauit. Atque si nos quidem ad id attendimus, eius causa aliquid esse non posse, aut impossibile datur, notionis realitatem experiemur. Dic, e.c cur impossibile sit, ut Triangulum bilineum describatur, ex impossibile sit, lineas parallelas in infinitum productas se aliquando contingere, cur impossibile sit, materiam cogitare? Nonne in hisce casibus idem simus affirmatur atque negatur? Vides ergo, ea omnia, quae non existunt, impossibilibus non esse annumeranda, sed potius praeter existentia multa possibilia esse agnoscenda. In eo itaque uehementer errauit Abaelardus, et qui hunc sectus fertur, Wiclefus, quod possibilia existentibus, et existentia possibilibus coextendenda esse docuerit. Dabo eius argumentationem ex ill. Bilfinger's Comment. de O. et P. M. §. 145. *Deus non potest facere nisi quod uult facere: Quod uult facere, facit: Igitur nihil est possibile, nisi quod existit: Igitur, quae non existunt, sunt impossibilia.* Sed qualis est hic inferendi modus: Deus non potest facere, nisi quod uult facere, sive, impossibilia sunt, quae Deus non uult facere? Quis hoc tibi concesserit, Abaelarde? Cur non potest facere plura, quam uult? Ne quid, inquis, agat contra uoluntatem suam: Ita omnino est; sed quid inde conficitur? Deus possita haec non plura faciendi uoluntate non potest plura facere. Num uero abs late non potuit plura facere, si a sapientissimo haec non alia creandi consilio abstraxeris? Vides ergo, te parum philosophice,

A 3

h. e.

h. e. accurate ratiocinatum esse. Hobbesius Spinozae proprius accedens, ea iudicat esse impossibilia, quorum praerequisita, h. e. causae praetiae non existunt. Sed quis feret hominem sic argutum: *Cuiuscunque rei praerequisita non existant, ea est impossibilis?* Certe nec speciem habet haec propositio. Licet enim praerequisita illius rei non existant, poterunt tamen existere. Vnde enim probaueris nec ea posse existere? Num quod illorum praerequisita non existunt? Sed ita in infinitum progerderis, nec animaduertis circulum satis evidentem,

#### §. IV.

Possibile quid  
sit?

Possibile uero appellatur, quod nullam contradictionem inuoluit.

Perinde enim est, acsi dices, possibile esse, quod non est impossibile. Definitiones enim negativaes per regulas definiendi non prohibentur, ubi alterum contradictioniorum affirmatiue definitum fuerit. Sic uero nos de possibili sentimus: *Spinozam si audias, ille aliam tibi possibilis notionem suppeditabit.* Sic enim in *Ethica* P. IV. def 4. inquit: *Res singulares, quatenus dum ad causas, ex quibus produci debent, arrendimus, nescimus an ipsae determinatae sint ad easdem produendum, uocamus possibilia.* Quaerit adeo possibilitatis naturam in defectu cognitionis nostrae de rei existentia: Id quod ipse in *Cogit. Metab.* P. I. c. 3 p. 102. diserte fateatur: *Sat erit, si nobis concedatur, bsec duo (possibile et contingens) non nisi defectus nostrae perceptionis nec aliquid reale esse.* Contra hanc Spinozae sententiam pro-

prolixè disputauit *Ill. Wolfius* in Comment. de diff. nexus rerum Sap. et sat. §. VII. VIII. Qui possibile definiunt per id, cui praestando uel exhibendo ui- res quaedam sufficient, magis ad possibiliterem ex- trinsecam, quam ego alias *existibilitatem* appellare soleo, quam ad intrinsecam attendunt.

## §. V.

Cuius oppositum est impossibile, *necessarium*.  
*rum* appellamus.

E. gr. Duo bis sumta esse quatuor, necessariū pronuncio, quoniam oppositum, duo bis sumta non esse quatuor, contradictionem implicat, h. e. impossibile est. Similiter Triangulum habere tres angulos, est necessarium, quoniam oppositum, triangulum non habere tres angulos, est impossibile. Quia uero ratione ad necessarii notionem perueniatur, non solum ostendit *Ill. Wolfius* in Comment. de diff. nexus sapientis et fatalis necessitatis. Sect. I. §. 8. uerum etiam ibidem hanc definitionem maxime contra Spinozam vindicauit.

## §. VI.

Cuius uero oppositum peraeque est possi- *Contingens*  
bile, illud *contingens* vocari solet. *quid sit?*

E. gr. me contingentis notionem nunc ex- pendere, illamque illudicare, est contingens: Siquidem oppositum, me illam non meditari, non re- pugnat.

## §. VII.

## §. VII.

*Necessario re-  
pugnat non  
esse.*

Necessario repugnat non esse. Fac enim, nullam contradictionem implicare, necessarium non esse: certe hoc casu illius oppositum erit possibile (§.3.); Enimvero necessarium est cuius oppositum est impossibile (§.5): Quare necessario repugnat non esse.

Sic e.c. quando affirmamus, Deum necessario existere, hoc ipso supponimus, impossibile esse, ut non existat. Pariter, ubi necessarium pronunciamus, Triangulum habere tres angulos, hoc ipso uolumus, fieri non posse, ut Triangulum aliquando non habeat tres angulos.

## §. VIII.

*Contingenti  
non repugnat, si  
gens.* Etenim cuiuslibet rei oppositum aut contradictionem inuoluit, aut non inuoluit, hoc est, aut possibile, aut impossibile est (§ 3.4.). Quare omne ens erit aut necessarium aut contingens (§.5.6.). Cum ergo necessario repugnet non esse (§.7.), cui id non repugnat, esse debet contingens.

E.gr. Ecclipsi solari non repugnat, non esse, teste experientia: Quare etiam est ex contingentium numero. Titio, dum moritur, non repugnat, non esse: Hinc ipse etiam ens est contingens.

## §. IX.

## §. IX.

*Connexa esse dicuntur, quorum unum con-* Connexa.  
*tinet in se rationem alterius sive coëxistentis,*  
*sive succendentis.*

Concipe tibi duo entia A et B: Quodsi ex A rationem reddere possis, cur ipsi coëxistat aut succedat B; aut si in B deprehendatur ratio, cur ipsi coëxistat aut succedat A, tum A et B inter se dicuntur esse connexa. Sic datur nexus inter solem ex orientem et telluris illustrationem. Etenim huius ex illo reddi potest ratio. Sic theorema §. 7. propositum connexum est cum §pho 3. et 5. quoniam illius veritatis ex his redditur ratio (§. 7.).

## §. X.

*Omnis rerum successuarum inter se connexarum* Series successiarum  
*series est contingens.* Res enim successuae inter successiarum con-  
tinentia. connexae ita se habent, ut altera post alteram existat (*per def. success.*), atque antecedens posterioris in se contineat rationem (§. 9.): Itaque cum omnia successua modo existant, modo non existant, nulli successuorum repugnat, non esse: Enimvero cui non repugnat, non esse, contingens esse debet (§. 8.): Igitur omnis rerum successuarum inter se connexarum series est contingens.

Cogita istam generationum seriem, quae Christi profapiam exhibit Luc. III. et habebis seriem successuorum. Qui vero illam ingreditur, ex contingentium numero esse, superiora docent.

## §. XI.

*Series coëxistentium con-*  
*rum series, quaelibet illarum erit contingens. Series*  
*tingens.*

*Si plures dantur coëxistentium inter se connexos.*  
*rerum simultanearum, oriuntur ex seriebus rerum*  
*successuarum: Quodsi enim series rerum*  
*successuarum, A, B, C, D, etc. a, b, c, d, etc. a, β,*  
*γ, δ, sibi inuicem, coëxistent, hinc uarias habes*  
*coëxistentium series, A, a, α, etc. B, b, β, etc.*  
*Cum ergo series rerum successuarum non pos-*  
*sint non esse contingentes (§. 10.), necesse est,*  
*ut ipsae etiam coëxistentium series sint con-*  
*tingentes.*

Memineris, me illorum contingentiam de-  
 monstrasse, quae in seriebus coëxistentium conti-  
 nentur. Nemo existimet, Deum hoc ipso simul  
 posse subintelligi. Quanquam enim ille coëxistat  
 mundo, nequitam tamen est ex seriebus istis co-  
 existentium.

## §. XII.

*Mundus,*

*Aggregatum ex seriebus omnium rerum*  
*successuarum ac coëxistentium inter se con-*  
*nexarum, quae existunt, mundum præsenrem ap-*  
*pellamus.*

Magna abstractione opus est, ubi nos genui-  
 nam mundi ideam concipere uelimus. Vnde mi-  
 rum haud esse debet, quod rariores sint Philosophi,  
 qui illam exhibuerunt. Ante Leibnitium quis ita  
 mundum definierit, ignoro. Ille uero in Theod.  
 P. I. §. VII. inquit, mundum esse uniuersum nexum  
 aut compagmum rerum coëxistentium et successua-  
 rum. In Princ. Phil. quae nobis exhibent *Acta Erudi-*  
*Lips.*

Lipſ. Tom. VII. Supplem. Sect. XI. p. 500-514. per  
ſeriem rerum, quae reperitur in uniuero creatura-  
rum, mundum expreſſit. vid. §. XXXVI. Quam qui-  
dem definitionem Cel. *Hansibutus* in Pr. Ph. Leibn.  
more geom. demonſtr. def. 222. ita exhibuit: Mun-  
dus eſt aggregatum omnium ſimplicium et compoſi-  
torum ſimul et ſucceſſive exiſtentium, ſive inter ſe  
ſecundum locum et tempus connexorum. Post  
*Leibnitium ill. Wolſius* in Inst. Metaph. Germ. idiom.  
conſcriptis §. 544. hunc mundi conceptum ſuppe-  
ditauit: Die Welt iſt eine Reihē veränderli-  
cher Dinge, die neben einander ſind, und auf  
einander folgen, insgesamt aber mit einander  
verknüpft ſind: quem deinceps reperiit in *Cosm.*  
*Lat.* §. 48. Sed dici, uix potest, quanta uehementia  
hanc ipsam definitionem adorſi ſint eruditī, quibus  
caeteroquin recentiorum placita maxime erant ex-  
ofa. Praecipue S. V. *Ioach. Langius* in Quæſt. 130.  
ex *Mech. Phil. Wolf.* pro eo, quo erga pietatem et  
Religionem flagrat, amore omnes neros intendit,  
ut et falſitatem et, quod in omnibus propemodum  
uerbis latitaret, periculum illius euinceret: Sed post  
alios capropter naſtus eſt etiam Antagoniſtam foli-  
diſſimum *Carpotum*, qui in *Resp. ad ipsius Quæſt.* a  
dicta ſuſpicione eam liberare uoluit. Mihi, faluis  
iudicioſioribus, uidetur, nihil eorum contra hanc  
mundi definitionem moueri poſſe, que contra ean-  
dem uerſerunt uiri praefantifimi: poſtulare illam  
mundi contingentiam, neque adeo ſolum admittere  
uerum etiam neceſſario ſupponere entis extra mun-  
dani, h. e. Dei exiſtentiam.

## §. XIII.

Mundi con-  
tingentia.

*Mundus praesens est contingens.* Obtinuimus enim, omnes rerum successuarum, atque, quae hinc oriuntur, coexistentium series esse contingentes (§. 10. 11.): Cum ergo mundus constet, ex series rerum successuarum et coexistentium (§. 12.), mundus praesens est ens contingans.

Ista de mundi contingentia praestruenda fuimus iudicauit, ut ostendere possem, ueri nominis libertatem humanae menti competere. Absolutam enim aut eiusmodi, cui nos relustari non possumus, necessitatem libertati inimicam esse, quilibet facile concesserit.

## §. XIV.

Motus cor-  
poris.

Motus, quos corpus nostrum exequitur, triplicis sunt generis: Sunt enim, qui ab anima decreti demum consequuntur, haud consecuturi, si eos anima non decreuisset, atque hos uocamus *uoluntarios*, seu *liberos*: Sunt, qui a sola dependent corporis structura, neque per animae decretum ullo modo mutari possunt, atque hos appellamus *uitales*, aut *necessarios*. Sunt denique, qui ex parte quidem ab anima pendent, quatenus aut intermitte possunt ad tempus, aut promoueri, aut retardari etc. quos alias *mixtos* uocare solent.

Ad primam classem refero, ambulare, cubare, sedere, stare, edere, etc. Ad secundum sanguinis circulationem, cibi concoctionem, motus fluidi nervorum factio ab externis obiectis in organa sensoria impulsu etc. Ad tertiam respirationem etc.

## §. XV.

### §. XV.

*Motus corporis humani omnes, voluntarii, neceſſarii, mixti, sunt contingentes.* Quandoquidem *Motum istorum contingentia.* sunt ex seriebus successuarum et coexistentium, quae existunt, (§. 14.), atque adeo ad praesens uniuersum pertinent (§. 12.) ; Enim uero illud omnino est contingens (§. 13.) : Igitur et ipsi erunt contingentes.

Nihil tamen impedit, quo minus alii aliis magis esse possint contingentes. Etenim contingenti non reputat simul esse respectiū necessarium : Cum ergo illud dicatur, quod positis certis circumstantiis aliter esse nequit, videmus, quo plures ad sint circumstantiae, eo maiorem esse, cui id quidem adstringitur, necessitatem. Fac e. c. exercitu diurna fame preſſo, longoque itinere defatigato discrimen ineundum esse cum alio exercitu, tale quid non per pēſſo, praetereaque illum et animo et viribus superanti ; Fac alium exercitum armis gerendis ſufficienti occurrere hosti animo pari, viribus superiori : Hoc easū utrumque quidem exercitum hosti succumbere eſt contingens, fed simul quoque hypothetice necessarium. Hunc tamen uinci adeo necessarium non eſt, quam illum.

### §. XVI.

Inter eas repreſentationes, quas nos in mente noſtra experimur, dantur etiam nonnullae, quibus exiſtentibus eorum, per quae unum ab altero diſtinguitur, nobis ſuntū conciī : atque has appellare ſolemus *diſtinctas.* Quoniam uero illae intellectus ſint operationes, dicuntur etiam *intelligentiae.*

Fac e. c. iuuenem a parentibus in academiam scientias addiscendi causa missum, duos sibi agendi typos repraesentare, quorum alterum eligere, alterum reprehare debet, diligentiam uidelicet, et uiuendi rationem huic accommodatam, atque studiorum negligentiam, et, qui hinc consequi solet, peruersum uiuendi modum. Eac, illum perpendere, priori electa ipsi copiam fieri, ad ueritatum cognitionem, qua quidem animo nihil dulcissime esse potest, perueniendi, siue non solum intellectum amplificandi, uerum etiam voluntatem emendandi, praeterea voluntati parentum satisfaciendi, sibique tandem in futurum de honoris et commoda uita prospiciendi; posteriorem uero amplexum se in perpetua ignorantia esse perseveraturum, affectuum uehementia, cui resistere neciret iri exagitatum, parentum bona turpissime dilapidare, illorumque voluntati malitiose repugnare, nec minus ad officium aliquando obeyundum reddi inhabilem, hoc ipso misere, omniumque contemptui expositum, uicturum: Hoc casu ipsum utramque intelligere affirmo, et utriusque distinctionem ipsi representationem tribuo.

### §. XVII.

#### *Voluntas.*

Quando nobis bonum utcumque reprezentamus, oritur in anima conatus istius perceptionem habendi; quae, si ex praeuia cognitione distincta resultat, voluntas audit.

Nemo internorum mutationum sibi concius id quidem in dubium vocabit. E. c. Si cui discendi cupido laudatur doctoris cuiusdam donum veritates perspicue et solide proponendi, in anima oritur conatus illum audiendi, atque unusquisque fatetur, hoc casu ipsum audire velle. Non omnem talmen boni cogniti

guiti apperitum esse voluntatem, inde liquet, quod nos brutis illam tribuere non soleamus, quamquam iisdem comperat appetitus sensitius.

### §. XVIII.

*Ratio voluntatis sufficiens dicitur id, unde intelligitur, cur illa existat.*

*Ratio voluntatis sufficiens.*

Nempe sicuti in genere ratio rei alicuius sufficiens dicitur, ex qua omnia ea intelligi possunt, quae in re aliqua cognoscenda dantur; ita in specie voluntatis ratio erit sufficiens, unde illius existentia potest intelligi. Atque, nisi ego vehementer fallor, in hoc omnes tacite consentimus. Ponas enim, te nimio & laudabili scholasticorum amore flagrantem intrare bibliopolium, ibidemque uisis Campanellae Libris Metaphysicis, illico voluntatem concipere, illas tibi comparandi: Si ex te quaererem, quenaam huius voluntatis ratio? responderes, ut terminos Scholasticis receptos, mihi haec tenus incognitos, inde possem addiscere. Vides, te rationem redditurum ad id prouocare, unde mihi voluntatis tuae existentia sit conceptibilis.

### §. XIX.

Rationem sufficientem voluntatis appellamus *Motiuum uolendi.*

*Motiuum.*

Sic in exemplo proposito motuum voluntatis librum istum sibi comparandi erat representatio utilitatis illius, quam praefstat notitiam terminorum Scholasticorum sibi acquisturo.

### §. XX.

*Nulla datur uoluntas sine praevio uolendi motu.* Nihil notum  
20. Quandoquidem per principia Ontoiogica *mus absque*  
*fieri motinoi.*

fieri nequit, ut aliquid existat sine ratione sui sufficienti: Enim uero uolendi motiuum est uoluntatis ratio sufficiens (§. 19.): Quare nulla datur uoluntas sine uolendi motiuo.

Optime ill. *Wolffius* obseruauit in Psych. Emp. Lat. §. 889. P. II. Seft. II. cap. I. hanc thesin adeo esse evidenter, ut etiam a Philosophis omni aeno agnita fuerit, neque hucusque ulli adeo esse felici contigisse, ut contrarium exemplo docere potuisset. Impossibilia sibi imaginantur, qui secus sentiunt. Determinatum esse. Aum ex indeterminata causa oriri, implicat. Vnde id *Leibnitium* praeceps male habuit, ut etiam in *Theodicea* contrariam sententiam manifestae absurditatis passim redarguerit. Eiusmodi uoluntatem praeuiis motiuis destitutam simillimam iudicavit Epicuri Atomis, qui suam subinde directionem absque ulla causa efficienti mutasse fingebarunt. Hic ramen probe animaduertendum est, motiuum illud saepius nos ignorare posse: Quis uero a nostra ignorantia ad illius non-existentiam temere concluderet?

### §. XXI.

*Nulla datur uoluntas sine praeuia distincta obiecti uoluntas sine repraesentatione.* Cum enim ex distincta boni repraesentatione oriatur uoluntas (§. 17), illa huius erit ratio sufficiens (§. 18). Enim uero ratio sufficiens uoluntatis ipsum est uolendi motiuum (§. 19): Igitur illud quoque existit distincta obiecti repraesentatio. Cum ergo nulla detur uoluntas sine praevio uolendi motiuo (§. 20); illa neque existere potest sine praeuia obiecti repraesentatione et quidem distincta. Si

Si quis contra hanc thesin obiiceret, nos saepius quid uelle, cuius uolitionis rationem ipsumet ignoremus, cum ramen distinctae repraesentationis nobis semper sumus consci, neque adeo uniuersaliter uerum esse, nullam dari uoluntatem nisi praevia distincta obiecti repraesentatione, illi suaderem, ut adisceret uocum significatus philosophis receptos. Distinguunt illi inter uoluntatem et appetitum sensituum, aut inter uoluntatem in sensu strictiori et *κατ' ἐξοχήν*, et inter uoluntatem in sensu latiori sumtam. Haec complectitur et appetitum sensituum et rationale; illa rationalem solum, qui est inclinatio mentis uersus bonum distincte cognitum. Si qua ergo datur uolitio, cuius motuum ignoramus, tum illa non erit uoluntas in sensu strictiori, sed appetitus sensitivus, appetitus, qui oritur ex obscura quadam boni repraesentatione, cuius nobis non sumus consci, ueluti quando in via gradum sisto, atque nunc iterum progressurus dextrum pedem primum moveo. Sie ego purassem, neminem fore, qui hac in re dissentiret; sed memini, ingeniosissimum Baylum in Dict. art. Burid. censuisse, multa speciose admodum et cum pondere pro contraria urgeri posse sententia, dari uoluntatem, saltim possibilem esse, cuius causa non foret obiecti repraesentatio. Ipsum enim illi subscriptisse, uix ego crediderim, dum alio loco eandem reiecerit. Primum existimat, posse aliquem ex duobus pluribusque aequaliter bonis, et pro iisdem habitis, unum eligere, aut minus bonum maiori distincte cognito praeferre, ut demonstrare posset, se esse uolitionum suarum dominum, quo casu dici non potest, voluntatis rationem esse distinctam obiecti repraesentationem. Verum enim vero ego in contrarium affirmo, hoc casu ex ea ratione neque ex duobus aequalibus alterum alteri, neque minus bonum maiori posse praeferrri, nullo nouo superaccidente motiuo. Quandoquidem ex ea ratione intelligi nequit, cur ex duobus aequalibus A et B elegerit A, nec potius B; Suae enim intentioni etiam satisfecisset eligendo B. Ester adeo haec ipsa uoluntas, haec electio ratione sufficienti destituta. Euna ca-

fum quod attinet, ubi quis bonum minus maiori praefert, licet utrumque distincte cognoverit, fateor quidem illum esse possibilem, e. gr. quando princeps amicorum optimum ipsi agendi typum suadentium reicit consilium, electio alio; Verum licet hoc bonum in se quidem altero sit minus, et pro tali habeatur, maiorem tamen prae illo boni acquirit speciem, propter alias circumstantias. Aut enim uel reipsa uel apparenter multum interest, aliorum consilio aduersari, aut quis summum in eo bonum collocat, ut aliter agat, ac reliqui omnes, aut deinde nimium suis affectibus indulget, mentem in minus bonum inclinantibus, quorsam illud Ouidii spectat:

-- *Trabit inuitam noua uis, aliudque cupido,  
Mens aliud suadet: video meliora proboque,  
Deteriora sequor.*

Pergit, posse voluntatem ab hoc effato dependere: *Volo, quia mihi placet.* Sed miror, Virum tanto acumine praeditum non intellexisse, hanc locutionem aequipollere isti: *Volo, quia uolo;* atque sic quaestio, de qua disputatur, recurrere, cur nam uelit, cur placeat, cur non dispiceat. Negue plus proficit, quando ad sortein prouocat, quae aliquando esset voluntatis ratio. Iudicamus enim, antequam sortem eligamus, id fore optimum, quod illa esset determinatura. Ratio autem, cur id optimum iudicemus, haec est, quod absque sorte neutrum elegissimus. Quod itaque sorte eligitur, ita se habet respectu alterius, ac id, quod nos habemus, respectu illius, quod habere non possumus. Iam uero finge, duo tibi offerri obiecta eligibilia, inter se quidem aequalia, sed alterum ita comparatum, ut, licet elegeris, illud tamen habere nequeas, alteram nero, ut, simulac electum fuerit, illius etiam statim compos evadas. Quodnam horum habita tui ratione optimum iudicabis? Nonne posterius eligeres contenta priori? Optarem, Baelius ad ultimam obiectionem altius attendisset: Sic enim expertus fuisset, se id stabilire, contra quod pugnet. Etenim cum ad sortem tum demum refugere soleamus, ubi

pro-

propter summam obiectorum aequalitatem neutrum eligere ualemus, qui sortem rei arbitram postulant, hoc ipso largiuntur, uoluntatem flecti non posse sine representatione Bonitatis obiecti.

## §. XXII.

Quando motiva utrinque aequalia esse cognoscuntur, anima in *aequilibrio* esse dicitur. *Indifferen-*  
*tia uero aequilibrii* est facultas in eiusmodi statu *alte-*  
*rum alteri praeserendi.*

Ratio denominationis desumta est a similitudine librae, quae tum in aequilibrio esse dicitur, quando ab utroque brachio aequale pondus pender. Vnde etiam libra in eiusmodi statu uersus unam partem inclinans comparari posset cum ista *indifferentia aequilibrii*. Dicam id clarius in exemplo: *Po-*  
*nas*, duos mihi aureos offerri, sibi inuicem perfecte similes, ita ut ne minimum quidem obseruari posset, quo alter ab altero discerneretur; Si ego positis illis circumstantiis alterum elige-rem, perinde foret, ac si libra praeponderaret, aequali pon-dere ab utraque lance pendente.

## §. XXIII.

*Indifferentia aequilibrii est impossibilis.* Illa enim postulat, ut uersus unum A maior sit mentis inclinatio, quam uersus alterum B licet pro utroque eadem adesse motiva cognoscantur (§. 22.): Quare hoc casu foret uoluntas, cui nullum responderet motiuum. Enim uero sine motiuo nulla datur uoluntas (§. 20.): Igitur *indifferentia aequilibrii est impossibilis.*

Casus, quem in demonstratione supposuimus, ita concipi debet. Sint motiva pro A = 6, motiva pro B itidem = 6. Hoc casu inclinatio uersus B foret = 6; si uero A eligeres, inclinatio uersus A maior e.c. foret = 8. h.e. 6 + 2. Iam uero cum motiuo pro A sint tantum = 6, uides dari uoluntatem, quae est = 2, cui nullum responderet motiuum. Itaque uides,

quantopere contra primum illud cognoscendi principium impingant, qui indifferentiam aequilibrii ad libertatem requirunt. Nec quicquam lucrantur, concessa licet impossibili ista aequilibrii indifferenta, sed potius nocent libertati, dum hac ratione causae intelligentes non ex praevia deliberatione, sed ex coeco quodam imperu suas actiones decernerent. Praecelle hanc in rem commentatus est *Baelius* in Rep. au Prouinc. c. 90. T. 2. p. 229. cuius cum discursu conferri possunt *Leibnitii* annotationes in Theod. §. 309. 310.

### §. XXIV.

*Anima est ens simplex.*

*Animas sim-  
plicitas,*

Velim copia mihi fiat nostris demonstrationibus nonnulla lemmata instar principiorum inferendi. Namis enim prolixum foret, singula, quae praefens argumentum ingrediuntur, ex primis principiis deducere, atque tandem uerendum, ne libellus ad paucas paginas adstrictus, in immensum excresceret. Itaque illis demonstrationibus me supersedere potuisse iudicavi, quae nimis erant prolixae, et a plerisque assumuntur, qui caeteroquin de libertate et illius connexis non recte sentiant. Si quis tamen assumpsi demonstrationem in animum sibi redigere cupit, legat *Ill. Wolfi* Psych. Rat. Lat. Sect. I. cap. I. §. 48.

### §. XXV.

*Perceptiones animae dependere nequeunt ab influxu corporis in animam.* Cum enim anima sit ens simplex (§. 24.), hoc est, partibus omnibus destitutum (*per def. entis simpl.*), fieri nequit, ut quicquam in intrinsecum illius influat. Enimvero, perceptiones sunt modificationes animae intrinsecæ: Quare illæ dependere non possunt ab influxu corporis in animam.

*Num percep-  
tiones ani-  
mae pen-  
dent  
ant a cor-  
pore.*

Ordinem naturae, posito hoc corporis in animam influxu, continuo perturbari, atque propterea illum omni probabilitate destitui, docuit *Ill. Wolfius* in Psych. Rat. Lat. Sect. III. cap. II. §. 579. et 588. Quin etiam alii philosophi, acu-

mine

mine praediti, quibus ceteroquin harm. praest. Systema non placet, & qui etenim cum Leibnitio ac Woflio non faciunt, huius influxus impossibilitatem agnoverunt. Ipse ego secundum meum Systema proxime communicandum, quod a Leibnitio aliqua ex parte recedit, istum influxum non admisi, sed potius perceptiones ab animae vi representativa deduxi.

### §. XXVI.

Deus immediata operatione animae perceptio-  
nes et cogitationes non producit.

Ecce, aliam veritatem, qua quidem demonstratione in-  
diger, absque illa tamen h. l. supponitur; ut tamen princi-  
pia, quibus ntitur, cognoscas, illa brevibus indicabo. Si  
Deus immediata operatione produceret animae representa-  
tiones, hoc ipso continua praefstrarer miracula: Est enim mira-  
culum effectus, cuius causa immediata Deus existit. Deus vero ui-  
sapientias suae miracula praestare nequit, ubi idem effectus per  
causas naturales obtineri potest: Cum ergo, animam suas  
perceptiones ipsam producere, non implicet; Deus illas  
immediata quadam operatione non producit. Optime Ill.  
Wolffius in Psych. Rat. Lat. Sect. III. cap. III. §. 604. demon-  
stravit, eo supposito, quod possibile sit, animam ipsam suas ex  
vi propria producere posse representationes, occasionalisti  
maximo iure continua exprobriari miracula, illorumque Syste-  
ma ea de causa merito esse reiciendum.

### §. XXVII.

*Anima perceptionum ac cogitationum suarum ratio-* Anima est  
nem in se ipsa continet. Quandoquidem neque cor- suarum per-  
*nem illarum existit causa (§. 25, 26.);* ceptionum  
*neque Deus causas.* per princ.  
*Enimvero nihil esse potest sine rat. suff. (per princ.*  
*rat. suff.): Igitur ipsa in se anima suarum perceptio-*  
*num rationem continet.*

Atque id ipsum est, quod celeberrimi promachi Harmo-  
niae praefiturae systematis contendunt. Neque tamen ne-  
cessum judico, illum, qui animae vim representatiuam o-  
mnium

nnium perceptionum causam esse docet, dictum systema amplecti oportere: id quod prolixius declaravi in *novo commercio animae et corporis explicandi modo*, quem systema convenientiae appello.

### §. XXVIII.

*Spontaneum.* Principium dicitur, quod alicuius rationem sufficientem in se continet. Spontaneum vero, cuius principium est in ipso agente.

Ita Aristoteles Spontaneitatem convenientissime definit. Quodsi enim e. c. nunc corpus meum eleuarem, in museo obambularem, aut illud apertis fenestrarum applicarem, corpora obiecta contuendi causa, quilibet fatetur, me id quidem sponte peregisse; Si uero vis externa in me ageret, atque inuitum ad motum compelleret, certe corpus meum sponte non moueretur. Caeterum haec spontansitatis notio adeo late patet, ut etiam rebus inanimatis, et animalibus bruis competat.

### §. XXIX.

*Spontaneitas perfectionum et uolitionum.* Perceptiones et uolitiones animae sunt spontaneae. Etenim anima suarum perceptionum continet in se ipsa rationem (§. 27.), et cum uolitionum ratio sint praeuiiae representationes (§. 21.), illarum quoque ipsa in se continent rationem: Itaque anima et representationum et uolitionum suarum est principium (§. 28.). Enimuero spontaneum dicitur, cuius principium est in ipso ente agente (§. cit.): Igitur et representationes et uolitiones animae sunt spontaneae.

Huic spontaneitate repugnant principia et influxionistarum et occasionalistarum, qui extrinsecum aliquod aut perceptionum aut perceptionum et uolitionum admittunt principium. Hanc ob causam Cartesiani maxime misere se torquent, quando de libertate mentis humanae loquuntur. Aliqui illorum independentiam nostram aut spontaneitatem, tan-

tum-

tummodo apparentes talem esse arbitrii sunt, docentes, spontaneitati sufficere, si modo externam vim, quae in nos agit, non sentiamus, quam quidem sententiam defendit Wittichius in Diff. de Prouidentia Dei actuali. Quin ille existimauit, tanto maiorem nostram dici posse libertatem et spontaneitatem, quanto fortius in nobis operatur diuina potentia. Accipe ipsissima illius uerba: *Quia enim Deus operatur ipsum uelle, quo efficacius operatur, eo magis uolumus, quod autem, cum uolumus, facimus, id maxime habemus in nostra potestate.* Alii uero et diuinam operationem et spontaneitatem admiserunt, eo quod illa ex ratione, haec uero ex experientia constaret, licet altera alteri repugnare uideretur, seque impares deprehenderent, huic contradictioni tollendae: Quemadmodum id ex discursu Regis in Phil. T. I. Metaph. Lib. 2. part. 2. cap. 22. liquet, quo Carefii doctrinam explicare uoluit. Verum enim uero ego Regis sententiam minime approbare possum: Ut reliqua, quae reprehensione digna sunt, raceam, in eo falso est, quod docuerit, nostram spontaneitatem ex experientia constare. Digna sunt, quae hic conferantur, Baelii uerba, quibus hanc Regis sententiam exceptit in Rep. au Prouinc. c. 140. T. 3. p. 761. seqq. Inter alia experientiam, ad quam prouocat ille, sic refellit: Si uexillo una cum motu uersus certam plagam, quem determinaret uentus, principium nempe extrinsecum, imprimeretur uolito sese uersus istam plagam mouendi, ita tamen, ut uolito motum uel ratione naturae uel temporis praecedenter motura: si uexillum illud praeterea ignoraret, dari uentos, quibus ad motum determinaretur, illud facile sibi persuasum esse, se ex propria ui, atque adeo sponte illuc moueri. Plura haec de re differit ill. Leibnitius in Theod. P. III. §. 291. seqq.

### §. XXX.

*Ad libertatem requirimus actuum, quos suscipimus, con-* Primum lib-  
*sistentiam, sola tamen illorum contingentia non sufficit li-* bertatis re-  
*quiritur.* Etenim a libertate absolutam quandam ne-  
cessitatem, quin etiam respectivam, si quidem a nostro  
arbi-

arbitrio non pendet, illam euitare, excludere solemus; Itaque maxima actuum contingentia ad libertatem requiritur.

Enimuero cum etiam eiusmodi actus in bruta cadant (§. 13), quibus tamen nulla attribui solet libertas: Sola actuum contingentia libertatem non constituit.

Sic nobis accurato ordine procedere placer, ut eo feliores esse possimus in determinanda libertatis natura.

### §. XXXI.

*Secundum.*

*Actus intelligentia ad libertatem est necessaria, sola tamen illi haud sufficit. Quandoquidem entibus intelligentibus DEO, Angelis, hominibus, minime uero animabus brutorum tribui solet libertas. Illorum autem a brutis differentia in eo consistit, quod illi, quidem distincta rerum representatione gaudeant, haec uero eadem destituantur. Quare cum intelligentia rei non sit nisi distincta illius representatio (§. 16.), ad libertatem requiritur actus intelligentia.*

Enimuero cum libere non agamus, externa quadam uero nos ad agendum compellente, licet actum suscipiendum probe intelligamus; sola illius intelligentia libertati non sufficit.

### §. XXXII.

*Tertium.*

*Spontaneitas requiritur ad libertatem, quamquam sola illi non sufficiat. Fac enim me invitum uero quadam externa, cui resistere nequeo, trahi ad negotium aliquod expediendum: Nemo facile dixerit, me id libere perfecisse. Itaque hoc ipso haud obscure indicamus, libertatem postulare, ut actionis nostrae principium sit intrinsecum, h. e. spontaneitatem (§. 28.).*

Enimuero cum et bruta actus suos edant spontaneam (§. 28.), quibus tamen nulla competit libertas: uide.

demus, solam spontaneitatem libertati haud sufficiere.

Vides igitur, homines uerementia affectuum abreptos, quamquam spontanei agant, propter hanc spontaneitatem tamen libere non agere.

### §. XXXIII.

*Porro ad libertatem requiritur uoluntas, eademque Quartum.*  
**Spontanea.** Quandoquidem tum demum hominem libere agere agnoscimus, quando aëtus suscipit, qui consequuntur animae decretum: Igitur ad libertatem requiritur uolitio. Cum uero inter libertatis requisita etiam obtineat intelligentia (§. 31.), uolitio, quae ad libertatem requiritur, debet esse uoluntas (§. 17.).

Enim uero cum aëtus, qui alias a libertate dependent, necessario consequantur, ubi illorum adest uoluntas, illi pariter causam externam agnoscerent, si uoluntas extrinsecus imprimetur animae, neque adeo forent spontanei: At uero spontanei omnino esse debent (§. 32.): Quare et ipsa uoluntas, quae ad libertatem constituendam requiritur, est spontanea (§. 28.).

Perinde est, siue haec ipsa uoluntas animae immediate impri-  
matur, siue prævia repræsentatio, que uoluntatis continet ra-  
tionem. Unde intelligimus, Theologos nostros recte sentire,  
quando docent, hominem in regeneratione sua passi se habe-  
re, h. e. libertate sua uti non posse. Ipsi enim in hoc statu confi-  
tuto deficit spontaneitas, dum ad illam ueritatum cognitionem,  
que uiam sternit ad regenerationem, non peruenit, per sua prin-  
cipia, a diuina quippe revelatione pendentem.

### §. XXXIV.

*Denique libertas requirit, ut id eligamus, pro quo fortiora Quintum.  
adsum morina. Quandoquidem praecipua libertatis*

D pars

pars existit uoluntas (§. 33); Enimuero nulla datur voluntas sine motiuo (§. 20). Cum ergo motiuis de-  
stituti ageremus, si aut ex duobus pluribusue aequali-  
bus alterum, aut minus bonum maiori praeferremus  
(§. 21. 23.), oppido patet, ad libertatem requiri, ut id  
eligamus pro quo plura ac fortiora adsunt motiuia.

## §. XXXV.

*Libertatis de-  
finitio.*

Sic tandem nanciscimur libertatis notionem:  
Scilicet illa erit facultas ex pluribus aequa possibilibus,  
h.e. contingentibus (§. 6.) et probe intellectis id sponte eli-  
gendi, quod nobis maxime placet (§. 30. 31. 32. 33. 34.).

Velim, hic animaduertant letores, cur adeo solliciti fueri-  
mus circa praemissas. Non licuit nobis pro arbitrio quale-  
cunque libertatis condere definitionem; sed cum ea defini-  
enda esset, quae menti humanae actu competit, illius realitas ex cer-  
tis principiis erat eruenda.

## §. XXXVI.

*Possibilitas  
estius.*

*Definitio libertatis, quam dedimus, est possibilis.* Ex no-  
stra enim definitione libertas facultas est ex pluribus  
aequa possibilibus, aut contingentibus probe intelle-  
ctis id sponte eligendi, quod nobis maxime placet (§.  
20.). Euicimus uero, non solum, sicuti rotum uniuersum,  
ita et omnes actus nostros esse contingentes (§. 13.  
15.); uerum etiam animam nostram obiecta intellige-  
re, h.e. distincte posse cognoscere (§. 16.), atque hinc  
resultare uoluntatem (§. 17.), praeterea omnes animae  
perceptiones et uolitiones esse spontaneas (§. 29.), ne-  
que nos quicquam uelle posse sine motiuo (§. 20.); Igi-  
tur illa, quam dedimus, libertatis definitio, est possibilis.

## §. XXXVII.

*Quoniam li-  
bertatis notio  
est impossibili.* Ex aduerso illa liberas norio, quae indifferentiam aequi-  
fit impossibili. Librii ineludit, est impossibilis. Euicimus enim, hanc indif-  
fe-

ferentiam aequilibrii esse impossibilem (§.23.): Quare et ipsa libertas, quae hanc includit, erit impossibilis.

Contra possibiliterem indifferentiae aequilibrii superius prolixe disputavi. §.21. et 23.)

### §. XXXVIII.

*Certum id esse dicitur, cuius oppositum aut non est, aut non futurum est. Vnde certitudo commode dici potest, exclusio oppositi existentiae aut possibilitatis.*

Ita certum est me hanc dissertationem nunc conscribere, quoniam oppositum, me illam non conscribere, non exigit. Sic certum esse affirmamus, uniuersum hoc Dei potentia aliquando iri destructum: oppositum enim, ut sempiternum duret, non futurum est, recte Scriptura. Certum est, Triangulum tres habere angulos, quoniam oppositum, illud totidem angulos non habere, est impossibile. Memineris vero, notionem certitudinis differre a necessarii definitione. Necessarii enim oppositum est impossibile (§.5.); Certi vero aut non est, aut non futurum est. Non omnino autem, quod non est, aut non futurum est, propterea contradictionem absolutam inuoluit. Caeterum si tu uelis id determinatum appellare, quod ego certum vocau, per me fiat. Quis enim propter terminum Philosopho foret molestus?

### §. XXXIX.

Ex principio contradictionis ista concipitur pro-  
positio: *Quodlibet, dum est, est, quae dicitur principium certitudinis.*

Hoc principium adeo late patet, ut quicquid fingere uelis, complectatur. Finge enim, Imperatorem Regni Fessani et Macroeensis die primo Iulii Christiano sententiam laturum esse condemnatoriam: Illud dum futurum est, etiam futurum est. uid, *Wolfi* Ont. Lat. P.I. S.I. cap I. § 55.

### §. XL.

*Omnis hominum actiones futurae sunt certae. Quoniam enim illae futurae sunt, dum futurae sunt (§.39.), fieri non potest, ut simul non futurae sint (per princ. contr.).*

D 2

Hac

Hac igitur ratione excluditur oppositarum existentia. Enim uero certa est actio, quando illius opposita aut non existit, aut non exitura est (§.38.): Igitur omnes hominum actiones futurae sunt certae.

Ista, ni fallor, adeo sunt evidenter, ut aperte coecutiant, qui ista palpare nequeant. Memini tamen, *Fausum Socinum* in Prael. Th. adeo infauustum fuisse, ut inaudito exemplo ista negaret. Sed uidemus, quorum abripiantur homines falsam opinionem semel' conceptam defendendi cupidine corrupti. Obliviscuntur eheu illorum, quae naturae humanae intime infixa haerent, ita ut ne magna quidem uiru eradicari posse videantur.

### §. XLI.

*Certitudo fu-  
turarum acri-  
onum num  
tollat liber-  
tatem?*

*Certitudo futurorum actionum non obest libertati.* Etenim libertas tantum postulat, ut nos ex pluribus contingentibus id sponte eligamus, quod nobis praere liquis placet (§.35.); Enim uero et ille ex pluribus aequo possibilibus id sponte eligit, quod ipsi maxime placet, qui, quod electurus est, eligeret, atque non simul non est electurus. Quare cum certitudo futurorum actionum tantum inuoluat, ut quid acturi simus, etiam agamus (§.38.), certitudo futurorum actionum non tollit libertatem.

In eo quilibet mentis suae compos, opinor, mecum conserter. Quis enim dubitaret, quin certum sit, me iam scribere, et oppositum, me non scribere, falsum? Si uero hodie illud uerum, hoc falsum est, heri, nudius tertius, ante annum, seculum, ab aeternitate uerum fuit, me hodie scripturum, et falsum, me non scripturum esse. Sin minus, idem simul uerum, idemque simul falsum erit: Nempe dicere possum, me hodie scribere, et me hodie non scribere. Id animaduertens Epicurus, cum aduersus Chrysippum necessitatis et fati defensorem disputaret, negauit, quodlibet aut uerum esse, aut falsum, referente Cicerone in Lib. de fato: *Concedit omnes nero uos Chrysippus, ut persuadeat, omne axioma aut uerum esse aut falsum.* Ut enim Epicurus ueretur,

ne

ne, si hoc concederit, concedendum sit, fato fieri, quaecunque siant: si enim alterum, ex aeternitate uerum sit, esse id etiam certum; si certum, etiam necessarium; ita et necessitatem et fatum confirmari putar: Sic Cbrysippus metu, ne non, si non obtinuerit, omne quod enunciatur, aut uerum esse aut falsum, omnia fato fieri possint, ex causa aeternis rerum futurarum. Vterque in eo errauit, quod alter metuerit, alter affirmauerit concessio hoc axiomate fatum et necessitatem negari haud posse. Magnum enim discrimen datur inter certitudinem et necessitatem, quod iam §.38. not. annorauit, et Baetius in D. & H. Hist. Crit. Art. Epicurus, contra antiquos Philosophos monuit.

### §. XLII.

*Nexus rerum in uniuerso admissus infert quidem certitudinem futurorum eventuum, minime uero necessitatem. Quando-* *Nexus rerum in uniuerso,*  
quidem ui nexus istius ratio consequentia B, cur potius *quid inferat?*  
existat, quam non existat, latet in antecedenti A (§.9.), et  
quoniam nihil esse potest sine ratione sufficienti (*per*  
*princ. rat. suff.*), impedit ille, quo minus oppositum *non* B,  
aut non-existentia illius ponatur. Cum ergo id certum  
dicatur, cuius oppositi existentia est remouenda (§.38.),  
nexus rerum in uniuerso admissus infert eventuum futu-  
rorum certitudinem.

Enimuero quoniam ille oppositorum existentiam ideo  
tantum excludit, quoniam illius nulla adest ratio, non au-  
tem, quoniam per se illa implicant (*per demonstr.*), nexus  
rerum in uniuerso admissus non infert eventuum futu-  
rorum necessitatem (§.5.).

Id, uelim, probe animaduerrant isti, qui sophismate pigro uten-  
tes, ex rerum nexo in mundo alerto futurarum actionum necessi-  
tatem inferre laborant, causati: si ad praesentem nexum pertinet,  
me aliquando eruditum fieri, eruditus existam, licet ego mentem  
addiscendis scientias nunquam admoueam; sin minus, frustra la-  
bore. Possent haec talia quidem urgeri contra fatum, quod Mu-  
hemedanis imputatur, mediis causisque intermediis penitus absolu-

Iotum; sed contra nexum, qui sapientissime constitutus a nobis asseritur, nil quicquam ualent. Qualis enim, obsecro te, haec est consequentia? Si in uniuerso rationem sufficientem habere debent, quaecunque eueniunt, nec quicquam sine illa fieri potest; sequitur, euentus futuros necessario esse euenturos, quanquam illorum nulla ad sit ratio sufficientis, me eruditum fore, licet non utar mediis ad meritis annis assuefactus, et nunquam de uirtute sollicitus, etc. Suadeo quarum confusionem, et rem distinctius expendas; Sic enim experieris, te ad eiusmodi absurdia adeo pronum non fore. Memini hac occasione verba Baconis, quibus Leibnitius contra eos aliquando usus est, qui actiones suas obiter meditati sinistre de iisdem senserunt: *Superficieam Philosophiam nos a Deo reducere, solidam vero ad eundem nos renovare.*

### §. XLIII.

*Nexus rerum in uniuerso adseritus non tollit libertatem, Quandoquidem ille tantum certitudinem futurorum actionum, minime necessitatem insert (§.42.); Enimvero certitudo istarum non nocet liberti (§.41.): Igitur nexus rerum in uniuerso adseritus libertatem non tollit.*

Si nostra libertatis notio postularet, ut anima sine praevio motu, sine ratione sufficienti uellet aut nollet, nullus dubitarem, quin nexus iste libertati contradiceret. Vidiimus autem, istam libertatis notionem esse impossibilem.

### §. XLIV.

*Praefscientia diuina consistit in distinctissima euentuum futurorum cognitione.*

### §. XLV.

*Ad praefscientiam diuinam praeter nexus rerum nihil requiritur. Cum enim ex ratione intelligitur, quod per eam est (per princ. Ont.), isti euentus futuri cognosci possunt, qui in praefentibus sui habent rationem. Enimvero nexus rerum in uniuerso assertus talem ponit re-*

*Nexus num  
sollat liber-  
tatem?*

*Praefscientia  
DEI.*

*Quid ad il-  
lam requira-  
tur?*

rum seriem, in qua antecedens consequentis semper in se continet rationem (§.9.): Igitur nexus iste diuinæ præscientiae sufficit (§.44.).

Existimo, nos felicius præscientiam Dei contra Socinianos defensuros esse, admissi uniuersali rerum neuxu. Illi enim circa huius possibilitatem, h. e. præscibilitatem rerum obiectuam anxie haesitarunt, qua quidem euista illam quoque concedere per sua principia tenerentur. Enimvero nexus rerum hanc præscibilitatem firmissime demonstrat: Quare hoc admisso cadit ipsorum met hypothesis. Num uero sine hoc nexus ista euerti possit, penes alios iudicium esto.

### §. XLVI.

*Praesentia Dei non tollit libertatem.* Quandoquidem <sup>Num libertatem tollat?</sup> ista praeter nexus in uniuerso assertum nihil requirit (§.45.); Enimvero nexus iste liberrati non est aduersus (§.43.): Quare nec præscientia Dei libertatem tollit.

Ece paradoxon illud feliciter solutum, quod tantopere exercuit Philosophos Cartesianos! Memineris tamen, hanc præscientiam ab illa praedestinatione et praedeterminatione multum differre, que ex absoluto quodam et sine ratione obiectua formatio confilio futuras hominum actiones determinasse singitur. Illam et Dei sapientiae, et mentis humanae libertati repugnare, lumen confiteor.

### §. XLVII.

*Ex iis, quae harmonistae de mechanismo corporis humani do-* <sup>Quid ex Mechanismo corp. effitas</sup> *cent, elicetur tantum certitudo futurarum actionum, nulla ne-* <sup>poris ab harmonistis affectio-</sup> *chanismo corp. effitas* *motus uolitionibus et auersationi-* <sup>sero confe-</sup> *qui ideae materiales sensibilium dicuntur, ut mechanis-* <sup>quatur?</sup> *mi circa ullam aliam determinationem (uid. III. Wolfius in Plisch Kat. Sect. III. cap. III. §. 615.) Hac igitur ratione,* *dam positis motibus præuiis reliqui etiam consequan-* *tur et oppositi non consequantur, omnes corporis mo-* <sup>(§. 38. 5)</sup> *tus futuri ex ea hypothesi suam habent certitudinem*

¶. 38. §; Enimuero quoniam motus isti non possint non respondere uolitionibus et auersationibus animae (*ex hypoth.*), propterea etiam omnes animae uolitiones et auersationes sunt certae.

Enimuero, cum, sicuti alius cuiusdam mundi ab hoc diuersi concedunt possibilitatem, ita et alios corporis nostri motus possibles esse largiantur harmonistae; ista, quae de Mechanismo docent, nullam inferunt necessitatem (§. 5.).

De possibilitate aut impossibilitate huius Mechanismi dixisse, nihil attinet. Ita tantum ediffero, quae in gratiam libertatis exinde possunt deduci,

### §. XLVIII.

*Num liberum sicutem tollat?* Ea, quae harmonistae de Mechanismo corporis docent, non tollunt libertatem. Quandoquidem ista tantum futurorum actionum ponunt certitudinem (§. 47.); Enimuero ista libertati haud nocet (§. 41.): Igitur neque ea, quae harmonistae de Mechanismo corporis docent, libertatem tollunt.

Sic et praesentem tractationem absoluimus, Deceptuante. Abstinuimus, quantum fieri potuit, a controversiis saltim domesticis, et dogmatice tantum disseruimus, quae praesens negotiorum concernunt. Arbitramur uero, et quasi in antecessum nobis gratulamur, nos gratiam inituros esse partim illorum, quibus dogma libertati maxime aduersa magna cum uehementia haec tenus fuerunt exprobrata, partim vero illorum etiam, qui istorum quidem dogmatum agnouerunt ueritatem, se tamen impares experti sunt eximendo scrupulo, quem ipsis subinde libertas obiecit. Competui, distinctam notionem evolutionem nos plurimum adiuuare in praefenti argumento, quod propemodum difficultissimum iudico in uniuersa Philosophia. Quare ut probe fibi caueant a confusione, qui huic rei animum aduentunt, et certinete singula expendant, asterum iterumque moneo.







Wittenberg, Diss. 1738





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DE  
TITVDINE  
TVRARVM  
TIONVM  
LIBERTATI  
TIS HVMANAЕ  
AVD INIMICA

PRO LOCO  
RES FACVLTATIS PHILOSOPHICAE  
OBTINENDO  
EMIAE WITTEBERGENSIS  
DITORIO MAIORI

PRAESES  
NES ERNESTVS  
CH V B E R T  
ET AMPLISSIMAE FACVLTATIS  
OSOPHICAE ASSESSOR  
RIL. A. O. R. cIc Ic CC XXXVIII.  
DISPV TABIT  
RESPONDENTE  
A WEIGELIO  
GT - HONTENSI HUNGARO

WITTEBERGAE  
IO. CHRISTOPH. TZSCHEIDRICH.

